

1.26.3

*Imppp. Valentinianus Theodosius et Arcadius AAA. Tatiano pp.*

Si quos iudices vel propter adversam et longinquam corporis valetudinem vel propter neglegentiam aut furtum vel simile aliquod vitium sublimitas tua inutiles esse reppererit, his ab administratione remotis et vice eorum alii subrogatis furibusque poenis legitimis subactis ad nostrae mansuetudinis scientiam non crimina, sed vindicta referatur.

*D. VI non. Mai. Mediolani Timasio et Promoto consss.*

[a. 389]

1.26.4

*Idem AAA. Addeo comiti et magistro utriusque militiae.*

De ordinario iudice semper illustris est cognitio praefecturae, licet militari viro ab eo facta fuerit iniuria.

*D. prid. id. Ian. Constantinopoli Theodosio A. III et Abundantio consss.* [a. 393]

1.26.5

*Imppp. Arcadius Honorius et Theodosius AAA. Anthemio pp.*

Si qui posthac velut indebitis oneribus gravati ad preces crediderint convolandum sive de naviculariis rationibus sive transvectionibus, rescripta, quae de omnibus his atque huiusmodi ordinationibus emitte contigerit, ad sedem sublimitatis tuae rescribantur.

*D. VII id. Dec. Constantinopoli Stilichone II et Anthemio consss.*

[a. 405]